



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

Cap. VII. Varia documenta pro usû, & praxi Aspirationum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

runt viri doctrinā & sanctitate conspicui. Hoc enim tanquam igne in cordibus nostris accenso consumuntur omnia peccata , vitia omnia destruuntur. Tollit id à nobis quidquid est terrenae adhæsionis, quidquid deformitatis, quidquid dissimiles nos facit Deo , & sanctam cum illo unionem impedit. Eo mediante vincuntur tentationes , acquiruntur virtutes , perficiuntur opérations , cœlesti lumine imbuitur intellectus , excentur actus supernaturales , purificatur intentio , erigitur affectus , inflammatur voluntas , disponitur mens ad contemplationem , & totus homo in Deum transfunditur. *Preces tacita multam habent acuminis*, ait Abbas Gillebertus , (11) *privatum sunt*, *sed privata non petunt*; *submissor est vox*, *sed mens intensior*. *Verbis non egat*, nec utitur oratio , que puro & pleno fertur effectu. Divinus homo , & in scholâ amoris versatissimus Franciscus Salesius Episcopus Genevensis studium orationis , & usum aspirationum unum & idem esse cum mysticâ Theologiâ docte & lueulenter ostendit. (12) Quia sicut Scholastica Theologia habet Deum pro objecto , & mystica etiam non nisi de Deo loquitur, sed cum triplici discrimine. Illa differit de Deo , ut Deus est : hæc ut summè amabilis est. Illa de Deo loquitur cum hominibus , & inter homines : hæc de Deo cum eodem Deo. Illa tendit ad Dei cognitionem , facitque nos doctos & Theologos : hæc tendit ad amorem , & nos ardentes reddit , ac Theophilos. Principale itaque hujus exercitium est cum Deo loqui , & ipsum Deum in fundo cordis loquenter audire secretis aspirationibus & alloquiis , quæ à nemine nisi ab ipso dicente & à Deo intelliguntur. Optimè de hac re pius Poeta. (13)

*Ille meos gemitus , mea scit suspiria solus ,
Quem fugit humani nulla latebra sinus.
Quid clamem , mea dum se se suspiria rumpunt ,
Non nisi nos soli novimus , ille , & ego.
Nemo meos gemitus , vota , aut suspiria novit ,
Nemo , duo nisi nos , & duo sufficiimus.*

(11) *Gilbert. serm. 23, in Cant.* (12) *Franc. Sales de amore Dei l. 6. c. 1.* (13) *Hermann. Hugo Biornum desd. elegia premiata.*

C A P U T VII.

Varia documenta pro usu , & praxi Aspirationum.

I. **U**T qui domum moluntur à fundamento , ita nos documenta scripturi pro usu & praxi aspirationum à fulcro , & veluti basi ipsarum , à Dei scilicet præsentia , ordiri debemus. Ab hac omnino pendet hec Angelica exercitatio , neque enim ad absentem aspiramus , aut preces fundimus ; qui nos audire & exaudire non possit. Præsens est ille omnibus , & ubique : atque ut canit quidam Religiosus Poeta. (a)

Cuncta Deus replet , Deus est suprà , Deus infra.

*Æthereos orbes habitat , sub Sole , sub aurâ ,
Sub tellure latens , sub Dite , sub æquorn undâ .
Omnia plena Deo.*

Romanus sapiens ad suum Lucilium sic scribit. (b) Non sunt ad cœlum elevandæ manus , neque exorandus cœditus , ut nos ad aures simulachri , quasi magis exaudiri possumus , admittat. Propè est à te Deus , tecum vñt , intus est. Ita dico (Lucilli) sacer intrâ nos spiritus sedet , malorum bonorumque nostrorum observator , & custos : hic prout à nobis tractatus est , ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. Præsentia itaque divina per se considerata facilissima est : nam quid facilius quam illum intueri , qui ubique est , in quo vivimus , movemur , & sumus ? Sed attentâ naturæ nostræ corruptione , quæ per inepta & corpori jucunda vagari consuevit , cœcūtumus plerique , & lucem ubique fulgentem non videamus. Sicut homini cœco præsens est sol , sed ipse soli absens est : sic omnis stultus & impius procul à Deo est , non quia Deus illi sit absens , sed quia ipse , ut potè cœcus , præsentem non videt. Magna hæc miseria est , ut scribit Augustinus , (c) cum illo non esse hominem , sine quo non potest esse : in quo enim est , sine dubio sine illo non est , & tamen si ejus non meminit , eumque non intelligit , & diligit , cum illo non est. Ut ergo cum illo sumus , semper ad illum respiciamus , ejusque amorem affidius aspirationibus excitemus , & augeamus. Amor enim oculum mentis ita afficit , ut non nisi amatum videre

P 3 libeat.

(a) *Bapt. Mantuanus. 3. sylvarum.* (b) *Seneca epist. 43.*

(c) *Aug. lib. 14. de Trinit. c. 12.*

liberit. De illo quem amat, semper cogitat homo, semper loquitur, semper ad ipsum aspirat: & mutuò ista sunt, præsentia Dei studium aspirandi gignit, ipsisque aspirationibus eadem foveatur, & nutritur.

2. Cum autem varii sint modi à diversis scriptoribus (d) traditi, quibus Deum præsentem habere & concipere possumus; ille cæteris præferendus, qui nec caput laedat, aut imaginacionem, nec stolidos, & quasi abstractos in peragendis ordinatiis actionibus nos reddat, sed potius adjuvet ad solita exercitia perfectius obeundam. Hic duplex est. Primus consistit in actuali fidei exercitio circa tria; circa ejus immensitatem, quâ cœlum & terram implet, circa scientiam infinitam, quâ omnia videt & penetrat, etiam intimas cogitationes; circa ejus concursum ad omnes nostras actiones. Per simplicem enim istarum veritatum apprehensionem Dei allud recordari facillimum erit: cumque hinc phantasmata absint, & ætus imaginationis, non erit hic modus illusionibus subjectus, & capitatis fatigationi. Secundus multo isto perfectior ille est, quo Deum non jam extra nos, sed in abdito cordis, & in intimo spiritu nostri præsentem, & in nos sua bona effundentem purissimo mentis oculo intuemur. *Nescitis*, ait Apostolus (e) quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Magna cæcitas multorum est, & non modica ignorantia, Deum semper extra se querentium, ac si procul ab illis esset. Nam si est in omnibus rebus (ut fides docet) proculdubio etiam in nobis est, magis intimus nobis quam anima corpori, quam de causa à Platonis (f) *Anima mundi* dicitur, non quasi pars, & forma ipsius, sed tanquam perfectissima causa tribuens omnibus esse & operari. Tutiū est autem Deum intra nos ipsos, quam in aliis creaturis querere, & aspicere: species enim externa creaturarum ita nos sèpè detinet, & rapit, ut non sinat ad Creatorem in illis habi-

(d) Scriptorum de præsencia Dei ex professo Virgilii Ceyavii, Joannis ab Angelis, Antonius Gauthier, Nicolaus Lancius, Ernests Arias, Alfonsus Rodriguez s. 1. Jacobus Alvarez s. 3. Ludovicus Ponte in Due spirituali, Thomas Masseius lib. 2. de celesti conversat. Ludovicus Parisiensis Capucinus in Palatio diuini Amoris s. c. 130. usque ad c. 159. & alii plurimi. (e) 1 Cor. 3: 16. (f) Varia sunt Platonis sententia de Anima mundi. v. Proclam. & ex recentioribus Forum in Timaeu. Alcibiad. c. 12. ac ib. Comment. Jac. Carpentarii. Plorium lib. 2. 3. 9. sum. 2. ac ibid. Fléneau, quæcumque legendus lib. 4. Platonica Theologie.

tantem intrare. Ideo querebatur Augustinus; (g) se foris Deum quæsse, qui intrâ ipsum erat. *Mecum eras, inquit, & tecum non eram.* Hæc Dei præsentia Sanctæ Caharinae Senensi usui erat, quæ (teste Raimundo) in ejus vitâ, cellulam sibi secretam intra se ipsam fabricavit, in quâ jugiter cum Deo morabatur. Felix planè cubiculum, in quo anima seipsum abscondit à tumultu creaturarum, & cum magnâ tranquillitate Deo creatori intendit. Sententia Salvatoris est (h) *Regnum Dei intrâ nos esse:* Regnum vero Dei est ipsem Deus cum universis divitiis suis. Ad ipsum igitur intra nos habitantem in fundo & esentiâ animæ ignitis aspirationibus introvertere nos debemus, semper de illo cogitando, ut ad ejus amplexum, & felicem cum eo unionem tandem pervenire, seu perduci mereamur.

3. Semper debet anima sancta, & veri sponsa amica (ut docet Richardus) (i) ad dilectum suum summum cum desiderio inhiare, parata semper & vocanti occurrere, & pulsanti aperire. Sed in hac introversione & praxi aspirationum, sicut & in reliquis exercitiis, vulgatum illud attendere debet, *Ne quid nimis:* ne videlicet ultrâ vires assumentur, ita ut caput gravetur ex nimia attente, vel intentione affectus. Cavendum quoque, ne nimis extendat intellectum, ne si altius, quam oporteat, volare tentaverit, à simplicitate aberrans internis tenebris involvatur: ex quibus intolerabiles miserias & arrietates oriri solent. Discretio hic necessaria est, & simplicitas cum suavitate conjuncta, sicut dicit Scriptura, (k) *Mel invenisti, comedere quantum sufficit.*

4. Elicienda sunt aspirationes non perfusoriae, & festinantes, sed cum matuâ serenitate spiritus, & interiori harmoniâ; ita ut reverâ sentiat anima se Deum querere, & ipsum veille in mente suâ invenire, non aliâ de causâ, nisi ut ipsum diligit toto corde, totis viribus, totâ virtute. Proderit aliquando, ex doctrinâ Seraphici Bonaventure, (l) puras manus ad cœlum levare, & suam interdum audire vocem: proderit ad sublevandam intentionem in cœlum suspicere; sed cavendum ne extrâ se vagetur spiritus, & ne ipse Aspirationes solâ voce prolate steriles fiant, & sine fructu. Spiritus enim fertur in Deum per anagogicos excessus, oculo intellectus ferè clauso, ac lopitis ejus discursibus, cum sancto silentio ac ferventissimo affectu. Quare minima

(g) Augustin. lib. 10. Confess. c. 27. (h) Luc. 17: 21.

(i) Richard. lib. 4. de contempl. c. 13. (k) Prov. 25: 16. (l) Bonavent. Spec. discipl. p. 1. part. 2. c. 6.

mina pars intellectui, maxima voluntati tribuenda est.

5. Convenit hoc exercitium illis praesertim, qui animam jam à vitiis expurgarunt, & aliquatenus in via illuminativa, studioque virtutum, & exercitio meditationis profecerunt. Postquam enim anima ab effectu saeculi mentalis orationis exhortatione abducta fuerit, ita ut sentiat divinum in se ignem succensum, reliquo statu meditationis ad statum transit aspirationis, post quem demum ad contemplationem, & ad mysticam Theologiam pertingit. Recepit S. Nilus, (m) *Si es Thelogus, veré orabis; & si eris Theologus, & veré orabis; Thelogus veré eris.* Et B. Joannes Climacus (n) *Statum tuum oratio tua manifestat tibi, hanc enim Monachi esse speculum, tradidit Theologi rectissimè.* Sententia haec est omnium Mysticorum post orationem vocalem, & meditationem ponit aspirations, tanquam modum orandi perfectorem, per quem fit transitus ad orationem internam, & divinitus insuam. De qua re legendi sunt duo viri eximii ex Ordine Capuccinorum: Benedictus Anglus in Regula perfectionis, (o) & Victor Gelenius (p) in Praxi mystica Theologiae. An vero deferendus sit status meditationis, tribus indicis cognoscere, quae tradit Joannes à Cruce (q) in ascensi montis Carmeli. Primum est, si jam non possis meditari, neque imaginationis opera uti, nec ullam ab hac re mentis reflectionem, sed potius ariditatem percipias. Secundum, si nec placeat, nec gratum sit anima tua ex industria occupare imaginationem, & defigere in aliquo objecto. Tertium, quando libet & placet anima solam manere cum amorosa ad Deum attentione in quadam interiori pace, & quiete, absque actu faltem discursivo potentiarum. Tria haec indica simul sumpta in te animadvertere debes, quicumque optas à statu meditationis turd ad alium sublimiorem progredi.

6. Requiruntur alia quedam ad hoc exercitium, puritas cordis, rectitudo intentionis; perfecta abnegatio & nuditas ab omnibus imaginibus, & idolis creaturarum; fuga curiositatum, inutilium sermonum, humanarum consolationum, & vanarum occupationum, desiderium semper proficiendi, humilitas, mens libera, & expedita ab omni terrena delectatio-

ne; lectio spiritualis, collocatio de rebus divinis; internum, externumque silentium, sicut scriptum est, (r) *Qui minoratur aetate percipiet sapientiam.* Quilibet vel minima inordinatio, quicunque tenuissimus affectus erga aliquam creaturam, quævis levior offensa, aut exterior distractio, moram injiciunt animæ ad unionem cum Deo properanti. *Quantumcumque enim, [ait quidem vir Sanctus]* (s) *profecisse videamus ad extrâ in bonis spiritualibus, & apparentiis, seu in reputatione sanctitatis, totum inane, & parvum est; nisi interior homo fuerit reformatus, & Deo conformis.* Constat autem ex his, non exigi ad hanc sapientiam acumen ingenii, & multiplicem cognitionem; sed simplicitatem, & purum atque ardente affectum, cum assistentiâ Spiritus Sancti, qui super humiles, & parvulos requiescit. Quare multum lugendi sunt illi, qui solis externis exercitiis contenti, & interiorem animæ fundum negligunt, & sanctam cum Deo unionem. Nunquam enim satiari anima poterit, & si omnibus spiritualibus divitiis abundet, nisi per amoris contactum, & intimeam unionem Deum consequatur. *Pecisti nos Domine ad te,* inquit Augustinus, (t) *& inquietum est cor nostrum, donec requefacat in te:* donec scilicet arctissimo tecum amoris vinculo conjungatur.

7. Solet praxis aspirandi dura admodum, & difficilis nondum exercitatis apparere. Natura enim instabilis, & libera, variisque cogitationibus, & desideriis assueta, frenum divini amoris pertinaciter fugit: & quia statim fructum non videt, tanquam labore nullius momenti contemnit. Sed hoc commune est omnibus exercitiis, quorum initia semper sunt difficultia: labor autem assiduus omnia vincit, & cum laudabilis consuetudo firmiter in anima stabilita fuerit, quasi in naturam transibit, rebusque divinitatem facile intendet, quam facile spirat ac vivit. Accedit gratiae auxilium, quod assidue implorare oportet: nam, ut ait Chrysostomus, (u) *Supra vires hominis est serere cum Deo colloquium, nisi adsit vis, & actus Spiritus sancti.* Unde sicut ad calorem nulla propinquior dispositio inventur, quam ipsemet calor; ita nulla ad orationem convenientior præparatio ipsa oratione. *Quodsi anima interdum langueat, ita ut ægre*

(m) *Nilus de oratione c. 57. n Climacus gradu 28.*

(o) *Bened. Anglus. regul. perfect. 1. pag. c. 19.*

(p) *Gelen. 1. decisi. 4. art. 10. & dec. 6. per toram.*

(q) *Joannes à Cruce Ascens. montis Carmeli. 2. c. 13.*

(r) *Eccles. 38: 25. (s) Gerlacus in soliloquio c. 25.*

(t) *August. lib. 1. Confess. c. 1. (u) Chrysost.*

lib. 2. decorat.

ægrè aspirationes producat, aliquâ pia meditatione utendum est, donec cor meditando incalescat, & mox ad aspirationes redeundum. Docet Gelenius, (x) & addit, debere unumquemque in hunc finem sibi ipsi instituere colloquia plangentia sui ipsius vilitatem, & infidelitatem circâ mortificationem, & virtutes: quæ si defint, pentea erunt ex meditationibus, & soliloquiis S. Augustini. Si verò nec meditatione, nec hujusmodi colloquiis cor excitetur, non propterea abicienda spes est, sed constanter perseverandum difficulter agendo, & varias aspirationes quantumvis frigidè & aridè elicendo, quoad usque probata fide victoria à Domino misericorditer concedatur. Tale est augmentum sanctorum exercitationum, quale est plantarum, quotidie crescent, quamvis id non appareat: processu verò temporis crevissé videbis, licet ipsum non videbis incrementum.

8. Cùm eliciuntur aspirationes, extendenda intentio est ad finem ipsarum, qui est animam purificare, & disponere, aptamque reddere ad contemplationem, & unionem cum Deo. Qui gressum mentis in ipsis fit, nihil agit; quia juxta Sanctorum Patrum vulgatissimum prologueum, non progredi in viâ Domini retrogredi est; & qui non accedit, descendit. Omnis fructus & finis orationis, ex sententiâ Bonaventurae, (y) est Deo adhaerere, & unum cum eo spiritum fieri per liquefactionem purissimæ amoris, & speculationem serenissimæ cognitionis, & absconsionem in Dei vultu ab omni mundanorum strepitu, per excessum quietissimæ fruitionis; ubi omnes vires animæ & potentias à suis dispersionibus simul collectae, & in unum verum, & simplicissimum, ac summum bonum fixæ, in quandam divinæ confortationis, & æternae stabilitatis similitudinem transformantur. Ad hunc finem datae sunt nobis à creatore vires animæ nostræ, non ut eas rebus terrenis mergamus, sed ut sanctis aspirationibus ad ipsum Deum efferamus, ad quem possidendum conditi sumus, & his quasi brachii bonum nostrum, nostramque felicitatem amplectamur.

9. Qui ex hac saluberrimâ exercitatione uberes fructus percipere cupit, nullâ unquam die, imò nullâ horâ, si fieri possit, eam intermittere debet. Cum enim non sit opus continuum, sed morulis discretum, omnibus ferè actibus interfieri potest, seu quis mente perspicax, seu tardus ingenio sit. Praecitate S. Ephrem.

(x) Gelenius 1. p. decif. 6. arr. 5. (y) Bonav. de proces. Relig. proc. 7. c. 14.

(z) Bonum fuerit semper orare, & nunquam desistere, quemadmodum ait Dominus, Quare sive operaris, sive dormias, sive iter facias, sive comedas, sive bibas, sive decumbas, cave orationem tuam intermiseras. Sive in Ecclesiâ fueris, sive domi tuæ, sive in agro: & si oves pascas, & adficta construcas, & si in symposto verseris, ab oratione care desistas. Olim præcepit Deus, (1) ut ignis in altari suo semper arderet, quem nutrit, inquit, Sacerdos subiiciens ligna manè per singulos dies. Altare autem Dei, ut magnus Gregorius interpretatur, (2) est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necessè est ex illo ad Dominum charitatis flammarum indesinenter accendere. Sunt qui certum quotidie pensum aspirationum à se exigunt, quod vix probârim, nisi discretio adsit, & magistris spiritualis consilium: affectum enim sequi in his oportet, & impulsum Spiritus sancti, qui certæ regulæ non subjicitur. Quidam cum legisset, S. Bartholomæum Apostolum centies in die orasse, ut eum imitaretur, centies quotidie aspirabat ad Deum factis sibi quibusdam Litanis ex Dei nominibus & attributis: quod qualiter fieri debeat, scribit Jacobus Alvarez, (3) Uſus & uincio plura docebunt.

10. Concludo hoc caput aliquot documentis, ab his specialiter obseruandis, quibus gratia aspirationum à Deo concessa est. Et primò quidem ne hujus doni iacturam faciant, se illò profusus indignos fateantur, nec propterea insolent, sed vilius de se sentiant, & gratiam Dei humilitatis velo occultent. Secundò caveant, ne eos contemnant, qui ejusmodi dono parent, fieri enim potest ut majorem illi charitatem habent, & gratiore Deo sint in sua simplicitate. Tertiò advertant, ne aliquâ præventi consolatione, ac dulcedine spirituali, nimium erga illam afficiantur, sicut ait Psalmista, (4) Divitiae si affluant, nolite cor apponere. Satiū enim, & tutius est gloriari cum Apostolo in cruce Domini nostri JESU Christi, quam insensibili devotione, & delitiis spiritualibus. Cesante autem operatione divinâ, recurrant ad propriam, & gratiae subtractionem patienter ferant: Quartò ita influxui divinæ gratiae satisfare current, ut vires corporales minimè lœdantur: magno etenim periculo subjecta est spiritualis ingluvies, quâ quis percepta gratiae suavitatem spiritum urget indiscretè ad majorem fervorem, quam corpus

(z) Ephrem. c. 1. hom. de orando Deum. (1) Levit. 6:16.

(2) Gregor. lib. 25. moral. c. 7. 3. (3) Alvar. t. 3. lib. 4. p. 3. c. 10. (4) Psal. 61:11.

corpus ferat. Quinto divinae gratiae abundantiam ad sui mortificationem dirigant, & ad virtutum exercitationem; nec ita sinant le devoteione absorberi, ut opera misericordiae, & vitae activae officia negligant. Haec monita Thomas à Jesu in libris de divinâ oratione trudit; exercitatis autem plura suggeret Spiritus sanctus.

C A P U T V I I I.

Qui sunt fontes aspirationum, que materia, quis ordo? De triplici statu Incipientium, Proficientium, & Perfectorum.

1. **F**ontes copiosissimi, è quibus elici & hauriri possunt quam plurimae aspirationes, hinc sunt. Consideratio coelestis patriæ, tedium hujus miseræ vitæ, desiderium videndi Deum, divinæ bonitatis, & misericordiae magnitudo, Dei sapientia, potentia, justitia, & cætera atributa, dolor de peccatis, affectus gratitudinis erga Deum, amor in Deum, zelus animarum, passio Salvatoris, amor Dei erga nos, dividae providentiae admiratio, & desiderium patiendi pro Christo. His accedunt actus abnegationis, pœnitentiae, charitatis, humilitatis, & cæterarum omnium virtutum. Quorum omnium materia desumi potest vel ex proprio cuiusque affectu & devotione; vel ex verbis sacrae Scripturæ, vel ex Sanctis Patribus, aliisque piis Scriptoribus. Sacra Scriptura, maximè vero in Psalmis, hujusmodi affectuum feracissima est: & hinc ceteris præferendi, quia nihil Deo gratius esse potest; quam si verbis à Spiritu sancto dictatis cum alloquamus. Sequuntur opuscula Sanctorum Patrum, & mysticorum Theologorum, que uberrimam aspirationum materiam suppeditant; præsertim confessiones S. Augustini, & ejusdem soliloquia, Manuale, & Meditations: opera item S. Laurentii Justiniani, Dionysii Cartusianii, Johannis Lanfergii, Thomæ à Kempis, & Ludovici Bloisi, alterumque recentiorum. (a)

2. Thomas Mässius (b) triplicem librum describit, unde materia aspirationum desumi potest. Primus liber magnus est valde, semper apertus, omnibus visibilis. Secundus parvus, occultus, omnino invisibilis, & à paucis tan-

(a) Vide Jacobum Alvarez. Et viam vita eterna Antonii Sucquer. (b) Mässius initio libri 2. de cel. convers.

tummodo intelligibilis. Tertius Magnus, & parvus; apertus, & clausus; visibilis, & invisibilis, & ex se intelligibilis. Primus est Mundus, qui, ut ait Basilius, (c) perinde est ac liber literis exaratus, palam contestans & praedicans gloriam Dei. Hujus quatuor sunt paginae evolvendæ, à quo factus sit, ad quid, quā ratione, & quantā rerum varietate exornatus. Hunc vero nonnulli inutiliter legunt, vani scilicet & curiosi mundi sapientes, quales fuerunt infideles, qui, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis: alii perniciose, qui tanquam pueri analphabeti solam externam speciem creaturarum respiciunt, inde sumunt occasionem recedendi à Creatore, ut adhaereant creaturæ: quidam utiliter & cum fructu spirituali, qui Deum in creaturis contemplantur, & in singulari operibus conditoris sapientiam, bonitatem, potentiam, & reliqua attributa laudant, prædicant, admirantur. Secundus est conscientia, sive cor nostrum pravum, profundum, & inscrutabile. In eo legere oportet, quid fuit homo, quid est, quid erit: quid potuit, quid posset, quid poterit: quid fecit: quid nunc faciat, quid facturus sit. Deinde observandum, à quo sit scriptus, quæ sint in eo scripta, & ad quem finem. Scriptus est autem à Deo, & à nobis, sed styllo valde diverso; à Deo literis aureis inspirationum, admonitionum, legum, & dictaminis rectæ rationis: à nobis, atramento culparum, & imperfectionum. Tertius est sacra Scriptura, cuius sunt libri historici, propheticis, morales, & mixti: in quibus quot apices, tot mysteria; quot verba, tot sunt incentiva nostri erga Deum amoris: si tapenlegatur eo spiritu, quo scripta est:

3. Quod vero spectat ad ordinem aspirationum, ille in praxi omnino promiscuus est. Nimirum enim amans fecunditas est, nec attendit quo ordine, quā lege, quavè serie erumpat. Interdum nec verba requirit, nec voces omnino ullas, solis ad hoc contentus suspirans: tunc præcipue, quando voluntas accensa est, quia tunc, ut monet Seraphica Virgo Teresa, (d) tollendi sunt discursus intellectus, & strepitus verborum, ne his tanquam lignis amoris scintilla opprimatur & suffocetur. Aliae quidem aspirationes incipientibus, aliae perfectis convenient: sed quandoque incipiens proficiuntur & perfectorum orationes assumunt, ut discat ad altiora

Q.

cor

(c) Basili. hom. 11. exam. (d) Teresa vita sua c. 15.